



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi  
Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiæ, 1627**

LV. An descendisse ad inferos, sit spiritu receSSISe in paradysum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

nallage; Et quod de Persona Christi dici videtur; hoc de  
reip/a, id est, Redemtionis vi intelligatur. Quomodo non  
auter ad inferos descendit; quam ad nos è celis quotidie  
descendit spiritum nimirum & virtute.

3. CALVINVS Instit. lib. 2. cap. 16. §. 9.  
Christi Animam illuc descendere, ut mortuo-  
rum animas manumitteret, quid opus fuit?  
Ecce negat realem, ut substantialem descen-  
sum, adeoque Personalem. Libenter equi-  
dem fateor, Christum ipss. illuxisse VIRTUTE  
sui spiritus; ut gratiam, quam sapè gestauerant  
dunataxat, mundo tunc fuisse exhibitam agno-  
serent. Et in fratre. Vim mortis inde amplifi-  
cat Petrus, quod ad mortuos usque penetrarit;  
dum Pia anime eius visitationis praesenti aspectu  
sunt potiss. Contra, Reprobis clarius pat. it, se  
excludi ab omni salute. Subditque: Petrus  
docere voluit, Communem Vtrisque fuisse mor-  
tua Christi Sensum.

LUTHERANI plerique quo ad talem dē-  
scensum, tenent contrarium.

AUTOR. Nota hic Lector, Caluinū.  
1. Fingere descensum Christi per do-  
lores gehennæ toleratos; patet suprà.  
2. Negare inferos reales: patebit infià.  
3. Locare eum sanctorum animas in cœlo  
etiam ante Christi aduentum. 4. Ne-  
gare, animas sanctorum à Christo beatifi-  
catas. 5. Suam de virtuali descensu  
sententiam vult esse certissimam:

Durandus noster in 3. d. 22 q. 3. eandem  
suam esse putat probabilem; communē  
minime reicit. At cætera omnia Cal-  
uinio contraria afferit. Isto solum errat;  
sentiens, non esse creditu necessarium  
realem Christi descensum secundum es-  
sentiam.

Quem ideò, ut verè Durum, reicit:  
Bellarm. l. 4. de Christo c. 15. neque audi-  
endus est tuendus minus: vti S. Scriptu-  
ris, Symboli Apostolici articulo, (quem  
S. Augustinus Apost. Thomæ tribuit)  
Ecclæ Concilis, Sancto: unque Pa-

trum contrarius Traditioni. Vnde Cō-  
cil. Lateran. ait: *Descendit in Anima; re-  
surrexit in Corpore; ascenditque pariter in  
utroque: Hypostasi tamen nunquam se-  
parata siue à Corpore in sepulero, siue ab  
Anima in inferno.*

Effectu sanè pluribus tunc Christus in  
locis erat; In cœlo, Angelos lætificando;  
In terra, compunctionem operando a-  
pud pios: Sub terra, illuminando San-  
ctos in Limbo præsens: In tartaro, dam-  
natos terrificando.

#### Q V A E S T I O . L V.

*An descendisse ad inferos, sit spiritu  
recessisse in Paradisum?*

CALVINISTÆ hinc scilicet argutan-  
tur devotuli: Sed deridiculi.

BUCERVUS in Ioan. apud Schlüsselbur-  
gium in Theol. Caluin. lib. 2. art. 27. Et  
V. Wittakerus contra Duræum, ait: *Infer-  
ni nomine Paradisus accipiendus est: ut descen-  
disse Christum ad inferos, sit, Spiritum eius, re-  
lato Corpore, concessisse in Paradisum.*

CAVLINVS huic errori præbuit ansam,  
aperuitque fenestram: idque duobus: 1. Abnegando Limbum, detentosque in eo  
Patres adulque Liberatorem. 2. Asseren-  
do, patres ante Christum Incarnatum in cœ-  
lis degisse Coelites sub Altari; non autem vi-  
disse Deum.

Isthoc se asscelis Caluinii sat probauit  
commentum: ideo tertium excogitarunt,  
locum paradisi.

Nos de Limbo postea & nunc de Pa-  
radisiā deque cœli Subaltaristis. Sed  
breuissimè, vt quibus alibi locus sit pro-  
prius pertractandis, in fratre q. 73.

I. DE PARADISO. In hunc descendisse  
Christum quidā Caluinistę fabulantur;  
sed an, quid, ybinam sit Paradisus, vt pi-  
ties

lces muti silent. 1. Voluntne Paradisum, & quæ in eo, per allegoriam interpretari, cum Philone Iudeo lib. 1. Allegoriarum, cum Valentino hæresiarcha, apud Ireneum lib. 1. c. 1. At iam olim damnata fuit hæc hæresis.

2. Cùm igitur *cum* esse locum terrem omnes consentiant; Vbinam eū constituunt? In aut sub terra? extra, an supra eam? In terra? Ut Iosephus lib. 1. Antiq. c. 1. putat orbem totum esse Paradisum. Extra terram? Nimirum in terra ea, quæ Oceanum ambire singitur à Bar Cepha, apud S. Ephrem. Supra terram? Ut Bede placet esse proximum orbi Lunari. An in Mesopotamia? Vbi multi & graues paradisum seruari superstitem autumant, apud Bellarm. tom. 4. l. 1. de gratia c. 12. Quem iidem euastatum diluvio arbitrantur, similem cæteris orbis oris ac terris.

At iuxta istarum nullam opinionem Christus descendisset ad inferos: sed mihi grasse dicendus foret, vel ascendisse.

3. In rem est, eritque gratum audire S. Augustinum Epist. 57. tom. 2. de hoc differentem: Quomodo Christus sit ubique, & non ubique. Hodie mecum eris in Paradiſo. Hinc fortasse intelligendum dicit, paradisum quasi in aliqua cœli parte compositum: Aut quia ubique Deus sit, Hominem quoque illum, qui in Deo sit, ubique diffusum. 1. Agnolco, quemadmodum acceptas Hominem Christum. Non utique, si ut quidam heretici, Verbum Dei & Carnis, hoc est, sine anima humana, ut Verbum esset Carni pro anima, vel esset anima pro mente humana. &c. Sed ita Ut Deum non crederes, nisi perfectum etiam Hominem creditisses.

2. Si ergo secundum Hominem putamus

dictum esse, Hodie mecum eris. &c. ex his verbis in cœlo existimad⁹ est esse Paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurum erat Homo Christus Iesus, sed in inferno secundum Animam. Et de Carne quidem, quod cō die in sepulcro sit posita, manifestum est Euangelium: Quod verò illa Animam in infernum descenderit, Petrus prædicat, &c.

2. Non derelinques. &c.

3. Sed in sepulcro nemo Paradisum intendit. Et si quisquam esset ita ABSVRDV, ut hoc sapere conaretur, cō quod sepulcrum in Horio erat; certè ab ista opinione renovari, quod ille, cui dictum, Hodie mecum em, non illo die fuit cum Christo in illo sepulcro. &c.

4. Restat igitur ut in inferno intelligatur esse Paradisum, ubi erat cō die futurus secundum animam Christus. Vtrum autem Sinnerus Abrahe vel paradiſi vocabulo cōfendit, vel ad inferos pertinere existimandus sit, non facile dixerim. &c.

Porrò si utraque regio, & ubi diues torquebatur, & ubi pauper latabatur, in inferno esse credenda est; quis audent dicere, Dominum Iesum ad pœnales inferni partes venisse tantum; Nec fuisse apud eos, quin Abrahe sinu requiescant? Vbi si fuit: ipse intelligendus est paradiſis, quem latronis anima illo die dignatus est polliceri. Quæ si ita sint, generale nomen paradiſi est, Vbi feliciter vivitur. Abundè appositeque respōsum Caluinistis est. Huc facit Bell. tom. 4. l. de gratia c. 10. 11. &c.

II. De SVBALTARISTICIS CALVINI animabus quas ipse in Psychopannychia, & BEZA lib. contra Brentium de Aetate Christi, parte 2. configit à corporibus abiisse ad cœli atrium; dormireque animas sub altâ, idque ad ultimum usque judicium; nequidem vidisse Deum: Esse tamen prædictas fidei

fide & charitate, & nobiscum in ijsdem con-  
junctas: Instit. lib. 4. c. 20. & 26. §. 6. pro-  
lige differit CALVINVS. ET LUTHERVS  
praelect. in Genes. teste Staphilo.

**A V T O R.** I. AT primus idem in-  
uenit & docuit Tertullianus libr. 4. in  
Marcionem. Post hunc Vigilantius, te-  
ste Hieronymo in lib. contra Vigil. apud  
Billarm. tom. 2. l. 1. de Beatis. cor. Idem  
tamen illud, Ante Christum Sanctos in  
coelum receptos fuisse, est, inquit, senten-  
cia proferita inaudita in Eccl. sia. Id quod sa-  
nè deberet sufficere ad refutationem. Porro  
Vide in meo Antichristo par. 2. quest.  
14. Et in Genealog. par. 1. quest. 27. Et  
infst. quest. 67. & 73. Nunc duo me vo-  
cant, Limbus & Infernus, An sint?

## Q V A E S T I O L V I.

Num in quem Patrum Limbum de-  
scenderit Christus?

CALVINVS Inst. l. 2. c. 16. §. 9. ait. Illa  
de Limbo fabula, tamen si magnos habent  
autores; nihil est tamen nisi fabula: Addunt  
PURITANI in Anglia & Scotia: Et com-  
munis Patrum error est.

2. CALVINVS in Ioan. c. 14. v. 3. Fa-  
tetur, Ille unius heres cœli possessionem nostro  
nomine adiit ut per ipsum accessus nobis pateat.

2. Exoritur tamen quæstio. Qualis fuerit  
Patrum Ver. ris Testamenti conditio post mor-  
tem, antequam Christus in cœlum ascenderit?  
Uulgò enim colligunt, fideles animas in Limbo  
fuisse inclusas: quia dicat Christus suo in cœlum  
ascensu paratum iri locum.

3. Respondet. Ante reconciliationem  
peractam fideles anime, velut in Specula, erant  
intenta ad redemtionem promissam: Et nunc  
beata quiete fruuntur, usque dum comple-  
tur redemcio.

**A V T O R.** Dicit: non docet hic, nec a-  
lubi usquam; nisi quod nostra quædam

testimonia eleuet.

I. LUTHERVS occlamat ei Com-  
ment. in Psal. 16. Sancti in sepulcro & in-  
ferno fuerunt sine dolore. ANGLI (Hu-  
gnotici) reclamant: qui in suis ecclesiis  
cantillando Limbum identidem profi-  
tentur. Vide Duræum ad Rationem 8.  
Campiani.

II. LOCVS Inferni Quadruplex est,  
ait S. Thom. 3. dist. 22. q. 2. a. 1. q. 2. c.  
Primus Damnatorum. In quo sunt te-  
nebræ, cum defectu diuinæ Visionis &  
Gratiæ, ac Poena sensibili. Alter supra  
hunc; In quo sunt prædicta; sed sine  
Poena sensibili; estque Limbus puerorū.  
Tertius, Purgatorium: supra eum, In  
quo sunt tenebræ, defectu diuinæ Visio-  
nis; sed non Gratia, & multa poena sen-  
sus. Quartus, Limbus Patrium, supra  
hunc: In quo sunt tenebræ, cum defectu  
diuinæ Visionis; estque Gratia sine po-  
na sensibili.

Et in hunc solum totus essentialiter  
Christus delcendit: in alios virtualiter.  
Ibi, ait August. serm. 137. Portam inferni,  
& vectes confregit & omnes iustos, qui ori-  
ginali peccato tenebantur, absolvit. D. Th.  
3. q. 52. a. 5. 6. Ideò Eccl. 24. Penetrabo  
omnes inferiores partes terre, cum distin-  
ctione dicta; & illuminabo omnes speran-  
tes in Domino, Patres in Limbo. Qui di-  
ctus est Sinus Abrabe, ratione Quietis;  
at Limbus, ratione inferni, & ob defectu  
gloriae.

Quies autem ea erat ratione immu-  
nitatis à poena; sed non à Desiderio Bea-  
ti, ab utroque sunt immunes. De gloria  
tamen operata mirè gaudebant; de dilata-  
tadolebant: Christus soluit utrumque;  
per Visionem diuinæ Essentiae euacuan-

M do

